

ABOMINOR suspectum multis fuit, quod in Ciceronis libris non superest. At Ovidius *Metam.* ix. v. 676. ac. iii. *Pont. eleg.* i. v. 105. *quod abominor*: & *Liuius* vi. 40. *quod abominaris*: & xxx. 30. *Quod igitur nos maxime abominaremur.* Idem dixit lib. ix. 38. *abominandam curiam*: xl. 4. *abominatus mentionem facinoris*: & xxxi. 12. *abominati seminares, passue.* De Pliniis, Curtio, & aliis *Argentæ ætatis* scriptoribus nihil attinet adferre.

ADOLESCENTIARI minus probatur illustri Vossio: sed *Varronis verba apud Nouium Marcellum sunt*: *tu quoque adhuc adolescentiaris, hoc est, iuueniliter & petulanter agis.*

ALLEVAMENTVM. Pro hoc mauult idem Vossius *lenimentum.* At ipse Cicero pro Sulla c. 23. *coactus est, inquit, in aduersis sine ullo remedio atque alleuamento permanere.*

CARDINALIS illustri Salma-
sio